



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 5. Nullum sensum sensationem suam sentire, ad tex. com 36.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

aliudē nimis fulgidum vel album aspicit, læsionem statim sentit; quia patitur & immutatur ab obiecto. Quod vero per defectum corrumpitur, non nisi post multum tempus corrumpitur: quoniam non actione, sed cessatione & quiete nimia enervatur, flaccescit, & perit. Vt qui diu in tenebricofo carcere aut spelunca fuerint, excœcantur, aut certè prodeunt in lucem intueri illam non possunt. Spiritus enim qui ad operandum conflue- re solet ad oculum, ubi oculus ab operatione cessat, auertitur, atque à tenebris repellitur. Quare sic- catur, refrigeratur & contrahitur opticus neruus, totusque oculus, & ineptus ad operandum euadit. Tertium ac postremum; In omnibus quidem sen- sibus ita, vt dictum est, euenire; atque vniuersè de omnibus à Philosopho fuisse traditum: eum tamen ab auditu ad alios sensus fessille gradum, tum quòd in superioribus idem fecerat: Tum quòd propositiones ambæ, quæ ab eo ad ratioci- nandum accipiebantur, in hoc potissimum sensu, non item in cæteris, manifestæ erant. Nam & con- centus, hoc est *αὐτοψία*, qui medius argumentati- onis terminus statuebatur, & à voce dicitur, & in voce conspicuè apparet. Et eundem re diuersum- que ratione sensilis & sensus actum esse in auditu magis cognoscitur, in quo sonatio & auditio no- minantur; quàm in cæteris, in quibus obiecti ope- ratio appellari satis non potest.

*Digestio V. Nullum sensum sensationem
suum sentire.*

DVm propositis vtriūque argumentis, num eodem, an alio aliquo sensu sentire se anima- lia sentiant, disputauit Philosophus, dissensionem summam inter interpretes excitauit. Primum enim in tex. 136. eodem sensu sentire probauit. Deinde in tex. 137. eodem sentire non posse: tum in tex. 138. posteriorem hanc argumentationem ita diluere aggressus est, vt nunquam apertè dixe- rit, num eodem an alio sensu sentiant. Sed solum respondit, sensu sentire non esse vnum, sed pluri- bus modis dici, ipsumque sentiens quodam mo- do sensibile esse; ac demum sensilis obiecti & sensus eundem re actum esse, dum actu operantur. Ex qui- bus manifestum est, nihil apertè & certè colligi posse.

Themistius & Simplicius ex eo, quod in tex. 138. aspectu dicimur sentire tenebras, hoc est nos non sentire, eodem quoque sensu colligunt nos sen- tire nos sentire. Tamen hoc Simplicius humano solum sensui tribuit, qui propter rationalis animæ coniunctionem rationalis quoquo modo factus potest in se ipsum se se conuertere.

Philoponus autem dubitationem propositam aduersus eam quæstionis partem, quæ alio id sen- su sentiri probauerat, dilui mox audiens; eam pla- nè existimauit de animalibus omnibus Philosopho fuisse sententiam. Subscribunt S. Thomas, Egidius & alij nonnulli. Sed quibusdam placet alia qua- dam actione id fieri, quæ post obiecti comprehen- sionem illud se comprehendisse sensus agnoscat. Alij eadem prorsus, quæ directè obiectum, indite- ctè sensationem percipiat.

*Sensum
sensationem* Verùm ad concludendum, ab eodem sensu sen- sionem eius nullo modo sentiri; efficax argumen-

Atum est illud, quòd visio colorata non fit, nec au- ditio sonora, aut odorifera odoratio, gustatio <sup>suam non
sentire.</sup> sapida, aut tactio tactilis. Etenim sensus vnusquique per obiectum suum constituitur, totaque il- lius operatio ab eaita definitur, vt nullo modo limites eius egredi queat; nec cognoscere quid- quam, quòd obiecti naturam non participet. Ha- bes hoc argumentum pluribus explicatum in com- mentario ad tex. 137. Nunc alterum addo, quòd necessarium prorsus esse arbitror. Omnis sensio eiusmodi est operatio, quæ in externam materiam non transit, sed in eo ipso suscipitur, à quo pro- ficiscitur. Ab illo igitur ipso sensu, à quo produ- citur & suscipitur, sentiri ea non potest, quin in se ipsum is conuertatur. At is nullo modo con- uerti & contrahi potest. Nam vt sentiens anima materialis tota est & corporea, vt quæ ex mate- ria gremio corporisque potestate eruta est; sic sensus omnis materialis item est, & corporeus. Neque materia, neque corpus vllum, neque om- nino quidquam, quòd materiale sit & corporcum suæque natura cum quantitate coniunctum, con- uertere se se ac contrahere in se ipsum potest. Quoniam hoc non patitur quantitatis natura, quæ extensionem & partes extra partes significat. Spi- ritualium duntaxat & à materia separatarum men- tum ea conditio est. Vereque deduxit Philoponus, si sensus conuerteret se ad suam operatio- nem cognoscendam, incorporeum cum futu- rum, separabilem, ac sempiternum. Itaque quan- tumcumque conetur oculus aut aspectus, se ip- sum nequit aspicere; nec auris aut auditus audire; nec sensus reliqui se ipsos sentire. Quia cum alli- gati sint organo quanto & extenso, nec sine illo quidquam operari possint; quemadmodum orga- num in se ipsum non conuertitur, ita nec ipsi se ipsos nec sensationem suam, quæ in ipsis aut etiam in eorum organis suscipitur, sentire vilo modo queunt: sed sentiri eam à superiore facultate oportet. Hoc argumento vsum in Charmide Pla- tonem video; vt nullum sensum sui ipsius esse pro- baret: quoniam magnitudinem & multitudinem vim suam habere ad se ipsa penitus impossibile est, solamque scientiam quandam posse esse, quæ sui & aliorum scientia sit. Quæri præterea potest, num sensus sentire se sentiat, dum obiectum suum sentit, an post illius sensationem. Dum obiectum sentit, sensationem suam sentire non valet; quia duas simul operationes eam habere oporteret: quòd ne mens quidem comprehendit. Eadem au- tem actione obiectum & illius sensationem qui eum sentire dixerit, minimè audiendus erit. Tum quia ne intellectui quidè hoc conceditur: atque in no- bis ipsis experimur intellectiones plures fieri. Tum quia natura tota & vis illius actionis ea est, vt obie- cti comprehensio sit. Et si eadem actio, tum obiecti, tum ipsius sensationis cognitionem præstaret; nunquàm sentiremus obiectum, quin sentire nos simul co- gnosceremus. At si per se, vt hoc non cognos- camus. Et si id quoque assequi volumus, atten- tione noua conatuque animæ atque actione opus est. Sane alia est entitas formalisque ratio sensio- nis, alia obiecti. Et obiectum quidem directè, sensio autem non nisi cognitione reflexa cognos- ci videtur: atque directum actum & reflexum non esse vnum & eundem nemo ignorat. Ita osten- ditur nullum sensum sensationem suam cognoscere;

A quo
sentia-
tur.

verum hoc ad superiorem virtutem pertinere.

Hanc esse rationalem animam placuit olim quibusdam; siue, ut Plutarcho, infima illa parte, in qua est opinio, quæque communis maxime est ac rationalem cum irrationali coniungit. Siue, ut alii, attentiva illa, quam *λογιστική* *λογιστή* appellarunt: hæc rationali animæ præter intellectum, cogitationem, voluntatē, & electionē, addentes, quæ omnia ea, quæ in homine sunt, quarat & animaduertat, facultatesque omnes percurrat, rationales, sentientes, vegetantes. Quorum sententiam hoc argumento confirmavit Philoponus; quod ubi ratio circa aliquid fuerit occupata, etsi aspectus videat, quid tamen viderit nescimus: postquam ad se rediens, licet non videat, nunc inquit ipsum vidi. Verum etsi in nobis id ratio, quæ suprema facultas est ac velut omnium princeps, omnia circumspicit, animaduerti possit interdum: vniuersè tamen rem secus habere, illud profectò demonstrat; quod in bestiis quoque, ut in commentario ad tex. 136. aduersus Simplicium docui, suarum sensuum comprehensio inest. Nec sensum modo, sed animaduersionem quoque in illis esse oportet, si agendi & mouendi principium futurum sit: nec tamen vlla in illis ratio. Nec esse igitur est, eam sentientis facultatis, quæ bestiis cum homine communis sit, ut proximi iudicis cognitionem esse. Quippe actiones illæ ipsæ sensibiles quodam modo sunt, quatenus sensuum; ut verè Aristoteles demonstrauit. Ea non superest alia, quam communis sensus: qui velut communis particularium sensuum iudex, ut eorum obiecta omnia persentiscit, comparat, & distinguit; sic illorum item actiones velut superior facultas percipit. Et idè præsentia interdum obiecta non iudicamus, neque sentire nos sentimus; quòd is non operetur. Ita prorsus Alexandrum pronuntiasse reperies in primo libro de anima cap. de sensu communi, & post eum Michaelē Ephesium in l. de somno & vigilia, Auerroemque & Albertum. Immo Themistium quoque & S. Thomam; qui in singulis sensibus videbantur cognitionem eam agnoscere. Vna, inquit Themistius capite 8. vis arbitra est, qua nos visu videre & auditu audire sentimus. Eadem enim facultate necesse est actiones sensuum percipi, qua differentias actionum percipimus. Non ergò verum est, quod paulo ante visum probare, cum diximus, visu nos sentire hoc, quòd cernamus; & auditu, quòd audiamus. Hoc sensum est communis sensus ingenium, munusque; cui notitiam omnium sensuum natura mandauit. Hæc Themistius. Eandem sententiam planioribus etiam verbis expressam apud S. Thomam reperies in Commentariis libro de somno & vigilia, & in prima parte Theologicæ summæ quest. 78. art. 14. Immo (quod Philoponus & Simplicium magnopere miror non obseruasse) ipsummet Aristotelem in capite secundo indicati libelli. His etenim verbis est apud ipsum. Non enim visu quidem videt, quòd videt, & iudicat utique, & potest discernere, quòd alia quidem dulcia sunt ab albis, nec gustatu, nec visu, nec ambobus; sed quadam communi particula omnium sensorum. Quibus verbis totum hunc locum breuissimè amplexus est. Duas enim exposuit communis sensus actiones; quarum neutra possit à particularibus sensibus proficisci. Altera est propriam sensum cognoscere, qua videmus,

Com-
munis
sensus
duplex
est.

vel audimus. Altera particularium obiectorum differentiam percipere, quidque inter illa inter se iudicare. Itaque de oblectura & perplexa, quæ in hoc de anima libro habita est disputatione, hæc est aperta & plana sententia. Quemadmodum in oblectura & grauib; difficultatibus consistit; ita in hac pro vtraque disputans parte, reique veritatem inuestigans; ex vtroque sanè illo actionis genere communem sensum quæsiuit; tum ut sentire in animalia sentiant, tum ut dulce ab albo, vniuersus obiectum ab alterius obiecto diiudicent. Ac posteriori quidem capite post aperiori sermone differet: De priori autem habentis loquutus est atque in tex. 136. & 137. habitationes vniuersæ proposuit; ac demum in tex. 138. pronuntiasse sententiam; Non esse vnum ipsum aspectum sentire, sed duplex: aliudque esse videre, aliud aspectu diiudicare. Videre namque propria est videnti facultatis actio; aspectu autem diiudicare, superioris virtutis velut iudicis operatio exiit. Communis nimirum sensus: qui quoniam non operatur nisi dum particulares operantur; non absolute diiudicare, sed aspectu, hoc est sensu hoc operante diiudicare dicitur.

Cuius rei illud est Argumentum; quòd cum nihil cernimus, tenebras & lumen aspectu diiudicamus: at non eodem modo. Lumen enim & obiecta cætera per ipsius particularis sensus actum sentiuntur: tenebræ ac priuationes reliquæ à superiori virtute, hoc est ab intellectu deprehenduntur. Non tamen sine sensu. Quia tunc intellectus priuationem cognoscit, cum tentantem & conantem sensum operari non posse animaduertit. Itæ priuationum cognitione ad sensuum comprehensionem ratiocinatus est. Quippe ambre non à particulari & proprio sensu, sed à superiori virtute cognoscuntur. Differunt autem, quòd priuatio intellectus, sensus communi sensu cognoscitur. Duoque significare voluit. Alterum, sententiam non per se à proprio sensu, ut lumen; sed à superiori facultate, ut tenebras, cognosci. Alterum; eam quoque modo dici posse proprio sensu cognosci, quatenus à superiori facultate non cognoscitur sine illo. Ut enim in tenebris opus est sensum conari & visionem tentare; sic eam necesse est visionis actum circa lumen aut colorem promerere; si tenebras intellectus, & sententiam communis sensus percipitur sunt. Deinde solutionem alteram subiiciens; Visionem quoque modo coloratam esse propterea subiunxit, ut comparatione facta cum tenebris, quæ etsi priuationem puram significant, aspectu tamen iudicantur; multò magis sententiam ostenderet indicari posse. Quod tamen, ut dixi, ita semper intelligendum est, ut aliud sit videre, aliud aspectu diiudicare; neque singulis sensibus sententiam aut priuationem cognoscamus, quòd edant illi actionem, qua eas sentiant ac de illis iudicent; sed quòd per illos vtramque superior facultas percipiat.

Hanc esse huius loci sententiam ex altero paulo ante proposito perspicuum est; in quo quasi visus est velle oblecturam hanc illustrare sententiam atque aperta interpretatione planiorem facere. quod qui ita esse neget, fateatur eum oportet pugnantia fuisse loquutum; si in altero loco à particulari sensu; in altero à communi sententiam sententiam affirmat.

Quæ

Quæ verò duo argumenta adducuntur in tex. 136. ad ostendendum, eodem sensu & obiectum & sensationem sentiri, dilui facile possunt. Quoniam enim vidit summus Philosophus communem sensum non operari nisi particulares operentur; verissimè voluit, non alio particulari, sed eodem sensu cognosci. Non quòd ab illo ipso eius operatio cognoscatur: sed quòd eo operante compræhendatur ab illo, qui omnium communis est. Quare cum deducitur fore, ut idem obiectum pluribus sensibus cognoscatur; id sanè in sensibus particularibus, qui eiusdem ordinis sunt, foret absurdum. At in his, quorum vnus inferior sit, alter superior; vnus exterior, alter interior; non solum absurdum non est, quin potius maximè necessarium; cum propria exteriorum plurium sensuum obiecta distinguantur, vt in tex. 146. idem ipse Philosophus tradet.

Neque (quod secundo loco adferebatur) opus est in infinitum progredi; dum vnus sensus actio sentitur ab alio. Etenim exteriorum sensuum operationes omnes ad vnicum hunc interiore repocantur; cuius actio ab intellectu cognoscitur;isque demum immaterialis cum sit & incorporeus, in se ipsum conuersus non suam modò operationem, sed substantiam quoque compræhendit. Quocirca vniuersam hanc demonstrationem, quam ad communem sensum ostendendum priorem adhibuit Aristoteles, ita colligamus. Manifestum est, non solum nos animaliaque cætera videre & audire, sed sentire quoque se videre & audire. Id particularibus illis & eiusdem sensibus fieri nequit. Alio igitur communi & superiore opus est; qui dum illi operantur, de eorum operationibus iudicet.

TEXTVS.

Ἐξ ἧν ἰδὸν οὐκ αἰσθάνομαι, τὸ ἁποκειμένου αἰσθάνομαι ἔστι, ὅσα ἂν γούσα ἐστὶ τὸ αἰσθάνομαι ἢ αἰσθάνομαι, ἃ κρινεῖται τὰ τὸ ἁποκειμένου αἰσθάνομαι διαφορὰς ὁλον καὶ ἄλλο, ὅσα ἂν γούσα ἔστι καὶ παρὰ, ἢ ἴσως ὁμοίως ἢ ἔχει ὅσα καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων.

Tix. 144. Vnusquisque igitur sensus subiecti sensilis est, in sensorio inexistens quatenus sensorium est; subiectique sensilis differentias iudicat, Vt album quidem & nigrum aspectus; dulce vero & amarum gustatus; perinde autem habet hoc & in aliis.

COMMENTARIVS XXVII.

QVemadmodum ex particularium sensuum exteriorum operationibus, quæ à nobis sentiuntur, ratiocinatus fuerit Aristoteles ad interiore communem inuestigandum; satis opinor declaratum est. Alteram nunc inuestigandi formam ingreditur. Ea petitur ex obiectis. Hoc dum agit, tum sapienter Philosophatur ex operationibus & obiectis, quibus facultates constituuntur, facultatem hanc inuestigando: tum obiectum & operationem ipsius propriam significat. Obiectum enim sunt, tum particularium sensuum obiecta, tum eorum operationes: Operatio autem, obiecta hæc distinguere alterumque ab altero separate, ac singulorum sen-

Sensus communis obiecti & operatio.

sum operationes cognoscere atque animaduvertere.

Quapropter cum Philoponus ac Simplicius hoc primum loco sensum hunc inuestigari autumant, dimidiatam & imperfectam inuestigationem faciunt, ex obiectis duntaxat, non ex operationibus exteriorum sensuum: dimidiatumque obiectum & actionem relinquunt. Partem alteram superiori oratione contentam atque exteriorum sensuum operationibus sentiendis occupatam auferentes illisque sensibus singulis tribuentes.

Quod autem ad hanc rationem attinet, quæ ex obiectis petitur; ea ex particularium sensuum obiectis ad obiectum communis sensus statuendum progreditur: vt obiecto constituto facultas, qua illud cognoscatur, constituenda sit. Animalia non modò cognoscunt album & nigrum, eaque distinguunt; verum etiam album & dulce diuersa esse sensilia norunt. Tum inquam diuersas singulorum obiectorum, colorum, sonorum, odorum, saporum, tactiliumque qualitatatum partes ac differentias persentiunt: tum etiam colorem à sono differre, sonum ab odore, & omnino vnum obiectum ab alio toto diuersum esse animaduvertunt & iudicant. Differentias colorum agnoscit aspectus, sonorum auditus, singulique sensus proprii obiecti diuersas partes discernere queunt. Quòd ex omnes sub obiecto & potestate illorum contineantur: atque vt alio & alio modo ab albo & nigro permouetur aspectus, aut ab acuto & graui auditus, & vnusquisque sensus à diuersis obiecti sui partibus; sic eas profecto distinguunt & iudicant. At vnus obiecti ab alio discrimen, coloremque à sono alioque sensili differre, nullus eorum potest cognoscere: quòd nullus nec verò etiam facultas vlla quidpiam potest præter obiectum suum compræhendere. Et tamen vt obiecta ipsa sunt sensilia, sic illud etiam discrimen sensile est; non secus ac discrimen albi & nigri, acuti & grauis, aliarumque similium partium. Quoniam discrimina sunt rerum sensilium, quæ à singulis sensibus sensilia sunt. Alium igitur nobis & animalibus cæteris inesse oportet superiorem sensum, qui id persentiat ac iudicet.

Quippe sensilia cognoscere quatenus sensilia sunt, maximè dum præsentia incurrunt in sensus, facultatis sentiendæ est: atque vt ad sensilia propria percipienda particulares sensus ponuntur; sic ad communitates hæc compræhendendas, quæ à particularibus sentiiri nequeunt, communem alium sensum constituere oportet.

Principiò igitur vnumquemque sensum accipit subiecti sensilis esse, aspectum colorum, auditum sonorum, odoratum odorem, gustatum saporum, tactilium qualitarum tactum. Etenim particulares hos & omnibus notos sensus accipit, vt ex illis ad communem ignotum nos deducat. Subiecti autem dixit, non obiecti; ἁποκειμένου, vt in textu etiam 136. non ἀνηκειμένου; vt aliis in locis. Siue eam obiecti causam, vt obiectum concretum & qualitatem in corpore inhaerentem significaret. Non enim colorem, sed coloratum aspiciamus. Siue quòd cum sensum antea dixisset suscipere formam obiecti sensilis sine materia; sensationem tanquam formam & externam qualitatem tanquam materiam & subiectum considerauit. Siue quòd & ἀνηκειμένου

Comunis sensus affectus.

Obiecti sensibile cur subiectum dicatur.

dicitur, quatenus reatorum more opponitur sensui; & à Latinis obiectum, quatenus illi cognoscendum obicitur; & *κατασκευασθέν* & subiectum, quatenus in ipsum sensus agit, non naturali, sed cognitrice & iudiciali actione. Siue potius subiectum dixit comparatione differentiarum, quas dicitur erat sensum in obiecto illo considerare. Eorum enim illud quasi subiectum est; albi & nigri color, acuti & grauis sonus, & aliarum obiecta alia. Quam ob causam subiectum Simplicius appellauit genus. Siue demum ea voce non obiectum, neque subiectum, sed determinatum significare voluit; hoc accipiens, vnumquemque sensum particularem determinati sensilis esse, quod specialiter illi cognoscendum subiicitur. Nam ita loqui opportunum valde erat ad id, quod quaerebatur, inueniendum. Cum ex hoc, quod vnusquisque determinati sensilis sit, consequens esset, nullum eorum cognoscere posse plurimum sensilium differentiam; sed alio opus esse sensu, qui non determinati vnus obiecti, sed communiter omnium sit.

Hoc ipsum confirmat illud, quod sequitur (in sensorio inexistens). Quorum enim hoc adderet, nisi vt magis explicaret determinatum sensum exteriorem, qui in parte corporis constituta resideat, oculo, auro, aliisque similibus. Idcirco etiam sensorium dixit, quatenus sensorium est, hoc est, vt à tali obiecto moueri potest, oculus à colore, auris à sono, & aliorum vnumquodque à proprio & proportionato sibi obiecto. Etenim quod (in sensorio) Auerroës in sentiente interpretatus est, ex vitiato codice profectum est. Libuit quoque Philosopho sensum adiungere sensorio inexistere, quatenus sensorium est; vt (quemadmodum verè adnotauit Simplicius) eum significaret à corpore inseparabilem esse, necessarioque alligatum sensorio illi parti, quae non solum vitam habeat, sed apta item sit velut organum vtenti ea sensui famulari, ipsumque tanquam vtentem in illa residere. Vnde & intelligas, facultates sentientes nequaquam esse per totum corpus diffusas; verum in determinata duntaxat parte ad operandum idonea contineri. Quorum enim videndi facultas aut audiendi in pede aut manu, vbi nec vnquam operabitur nec operari potest? Atque hoc est alterum, quod de singulis sensibus accepit.

Ex his porro duobus consequens est tertium. Nam si vnusquisque sensus determinati & proprii sibi obiecti sensilis est; isque in sensorio residet ad sentiendum apto: profectò circa obiectum illud ita poterit operari, vt totam eius latitudinem comprehendat: & idèò singulas partes dignoscat & tanquam diuersas diiudicet: cum omnes obiecto illo continentur atque à singulis secundum propriam suam conditionem, hoc est diuerso, quam alia, modo mouere sensorium possint. Ita aspectus album & nigrum tanquam differentes coloris species cognoscit, & auditus acutum & graue in sono, odoratus suauem & molestum in odore, gustatus dulce & amarum in sapore, tactus calidum & frigidum, humidum & siccum in tactilibus.

Hæ sunt tres quasi hypotheses, quas de particulatibus sensibus accepit Philosophus, vt ex illis communem aliam ratiocinaretur. Poteris & eas ad duas contrahere (& mea quidem sententia ma-

gis accommodatè) si verba illa (in sensorio inexistens quatenus sensorium est) alio modo interpretaris; vt sint velut conditio hypothetici primi apposita. Hæcque sit prior hypothesis; Vnusquisque sensus proprium sensile apprehendit, si in sensorio existat optimè & secundum naturam affectio. Posterior autem hæc; Proprium sensuum vnusquisque proprii sibi obiecti differentias persentescit. Vtramque sine probatione accepit: tum quod per se nota sunt & experientia satis superque confirmata: tum quòd ex tota superiori tractatione de sensibus illis habita colliguntur. Nam si sensus illi propter distincta obiecta distincti sunt, illorum vnusquisque propter sui obiecti cognitionem factum est, totumque illud & omnes eius partes debet comprehendere.

Quare illatiua dictio (igitur) qua principio vitur, non modò ad proximè superiorem orationem; in qua de sensuum obiectis aut exuperantibus aut moderatis dixerat, referri potest. Verum etiam ad antecedentem vniuersam doctrinam de sensibus illis traditam. Dum verò differentes obiectorum species percenset, extremas, non medias, memorat; album & nigrum, dulce & amarum. Quoniam eæ maximè sensiles sunt, magisque faciunt manifestum id, quod dicitur. Et cum illæ, quæ mediæ sunt, ex extremis quodam modo componentur; qui extremas connumerat, complecti omnes videtur. Denique exemplum ex aspectu potissimum & gustatu proferit: quòd alter sensus sit præstantissimus & vtriorum mensura; quicquid est in præmio librorum metaphis, multas differentias manifestat: Alter in nobis exactissimus; quippe qui tactus quidam est.

Επειδὴ καὶ τὸ λευκὸν, καὶ τὸ γαυρὸν, καὶ τὸ ἄσπρον εἰδένον ἁπλοῦς ἔκαστον χροῖα ὄντι, ὅ καὶ αἰσθητὰ ἡδὴ διακρίνεται, ὅτι αἰσθητὰ αἰσθητὰ δὲ αἰσθητὰ αἰσθητὰ γὰρ ὄντι.

D Quoniam verò album & dulce, & sensilium vnumquodque ad vnumquodque iudicamus aliquo, atque sensibus ea differre: necesse profectò sensu. Sensilia vnusquisque sunt.

COMMENTARIUS XXVIII.

A Particulatibus nunc sensibus ad communem progrediens, sub illa hypothetici velut propositione superioribus verbis commemorata; Vnumquemque particularem sensum obiecti sui differentias cognoscere; hanc subiungit assumptionem; Nos non solum cognoscere album & nigrum, sed etiam à dulci differre: & vniuersè tum differentias eiusdem obiecti partes inuicem comparantes, vt album & nigrum, dulce & amarum, acutum & graue; tum vnum totum obiectum cum alio toto vniuersè partem cum alterius parte, vt colorem cum sapore & saporem cum sono, aut album cum dulci, & dulce cum acuto; nos planè cognitrice aliqua facultate cognoscere & iudicare; immò & sentire ea esse diuersa magnopereque differre; & aliud esse colorem aut album, aliud saporem vel dulce, aliud denique sonum aut acutum.

Facultates non esse per totum corpus sensus.

D. D. D. D. D.

Satis autem illi non fuit dicere (iudicamus) sed voluit addere (sentimus). Tum quod iudicium poterat ad intellectum referri; voluitque significare hoc sensus iudicium esse. Tum quod cum quasi de nobis dixerit (iudicamus) noluit quemquam exultare hominis hoc proprium esse. Quare ut eandem in bestiis cognitionem, idemque iudicium esse ostenderet; alterum adiecit verbum. Atque ita cognitionem eam & iudicium ab aliquo sensu proficisci conclusit. Etenim, inquit, hæc obiecta sensilia sunt. Nec modò dum in seipsis & secundum totum considerantur; verum etiam cum aut tota aut eorum partes inuicem comparantur. Quocirca cum sensilium cognitio quatenus sensilia sunt, propria sit sensus, etsi ea quoad naturam & definitionem ab intellectu comprehendatur, vt sensilia tamen sunt aliòque & alio modo afficiunt sensum; nimirum ad sensum pertinent. Sanè intellectus quoque album à dulci & aliud quoduis sensibile ab alio differre cognoscit: quemadmodum tamen is non nisi per sensum sensilia cognoscit; ita non per se sed per eundem sensum differentiam illam assequitur.

Quid ergò ait Philoponus, Aristotelem non probasse cognitionem illam diuersi generis sensilium intellectus propriam non esse? Probauit enim ubi ostendit pertinere ad sensum, quod obiecta illa sensilia sint. Namque sensus & sensibile mutua habent relationem: omnique sensus alicuius sensilis sensus est, & omne sensibile aliquo sensu sensibile. Dum autem ipse ex eo demonstrat, quoniam si cognitio illa & iudicium intellectus esset, solius hominis esset: iam verò in bestiis, quæ intellectu & ratione carent, non minus apparet, dum opportuna sibi alimenta persequuntur & ab alienis aut ad nutriendum ineptis diiudicant: Optimam quidem demonstrationem adfert: sed haud fortasse nouam. Siquidem eam quoque visus est comprehendisse Philosophus, cum non solum (iudicamus) dixit, sed etiam addidit (sentimus). Deinde eam ipsam demonstrationem non bene adducit Philoponus, neque accommodato illustrat exemplo. Quippe aptum alimentum ab inepto dignoscere, canemque discernere carnem gustabilem à lapide non gustabili; Non est diuersi generis sensilia diiudicare, eorumque differentiam sentire: sed sensibile potius & priuationem illius percipere, dum lapis cognoscitur vt ingustabilis. Quam cognitionem non sensus, sed rationis propriam esse in 2. lib. demonstrauimus. Quare ea nullo modo inest cani; qui ad carnem quidem accurrit, ad lapidem autem non item; quoniam à carne & gustabili mouetur, à lapide non afficitur. Quod sanè non est cognoscere gustabile & ingustabile; sed gustabile quidem sentire, ingustabile autem non item. Dum tamen carnem videns & non gustans ad eam mouetur, iudicat sanè gustabilem, communi videlicet sensu, qui simul cum aspectu operatur à phantasia adiutus, præteritique gustatus memoria, quo eam aliàs lapidam & gustabilem sensit. Quare appositè magis exemplum illud potuisset proponi. Atque hæc obiter Philoponum monuisse satis. Ad Aristotelis argumentationem redeundum est. In qua habemus hæctenus, diuersorum illam sensilium cognitionem ad sensum aliquem pertinere. Quis ille sit, hoc iam inuestigandum superest: atque consequentibus verbis quomodo colligi possit explicatur.

A

TEXTVS.

Ἡ καὶ ψυχὴ, ὅτι ἡ ψυχὴ οὐκ ἔστι τὸ ἴσασθαι αἰσθητικῶς ἀόρατα, ἀλλὰ ἀσθητικῶς αὐτῆς, καὶ ἐν τῷ κινήσει.

Quo etiam manifestum est, carnem vltimum sensorium non esse. Etenim oportet id, quod iudicat, tangendo ipsum iudicare.

Text. 146.

COMMENTARIVS XXIX.

B

Mira hic interpretum discordia; nec piget quorundam sententias ponere, atque vt patet est examinare. Philoponus absolutam superioribus verbis credens rationem eam, quæ sensu communem colligebat; alterum nunc caput demonstrari voluit; hunc sensum non esse corpus. Eadem videtur Simplicio fuisse sententia. Quare cum caro dicitur vltimum sensorium non esse, negare de tactu cuiusque sensorio sermonem esse; sed carnem pro quouis corpore nominari, & sensorium pro sensu vltimumque sensorium communem sensum appellari. Quoniam propterea vltimus dicitur, quod ad illum particulares reliqui omnes sensus deducantur, & in eum tandem desinant. Vt illorum verborum (carnem vltimum sensorium non esse) conuersa propositione, hæc sit sententia, veluti probanda conclusio; communis sensus non est corpus. Quæ duplici argumento probetur. Altero; omne corpus tangendo sentit; communis sensus, etsi non tangat, operatur; non est igitur corpus. Altero consequentibus verbis contento; si esset corpus, operaretur per partes, vt cætera corpora; neque in eodem susciperet album & dulce; sed in vna parte album, in alia dulce: perinde ac si ego album sentirem, tu dulce. At nisi ipse totus vtrumque apprehenderet, quomodo iudicaret ea & distingueret? Vnum enim esse oportet, quod iudicat; cui ea omnia, quæ iudicat, nota sint. Simplicius tamen in argumentationem vnicam sermonem contraxit. Vt cum corpus dicitur tangendo sentire, intelligatur sentire per diuersas partes vnicuique sensibili occurrentes. Quod ad eam argumentationem pertinet, quæ Philopono posterior esse videtur.

C

D

E

Verum hæc interpretatio vix, immò ne vix quidem est probabilis. Tum quod cum de cæteris sensibus ostensum id non fuerit, ne hunc quidem necessarium erat ostendere non esse corpus. Aut satis erat id, quod vniuersè de omni sensu traditum fuerat in tex. 122. secundi libri; sensum non esse magnitudinem, sed rationem quandam & facultatem in magnitudine. Et rursum postremò in proximè superiori oratione in tex. 143. & 144. sensum rationem esse in sensorio inexistentem. Accedit, quod minus verè id probare poterat; aut certè præbebatur occasio credendi sensu hunc incorporeum esse, atque ab organo separatam. Denique rationes eas, vt leuissimas nunquam ad id probandum attulisset Philosophus. Primum enim propositio illa, omne corpus tangendo sentit, si de immediato contactu proferatur, falsa est, & Aristotelis contraria; qui tum solum tactum tangendo, reliquos verò sensus per sua corporea organa procul

diffra obiecta sentire docuit. Tum verò in priori libro de ortu atque interitu tex. 45. duplicem contactum physicum, hoc est inter naturalia corpora, & cum actione & passione coniunctum, posuit: vnum immediatum, alterum mediatum: sine quorum altero nihil profusus agat. Deinde dum fore deducunt, vt per partes operetur, si sit corpus; an non eodem argumento conficeretur, reliquos item sensus incorporeos esse? An non aspectus per oculum contrarios simul colores cernit, & iudicat? Et tamen difficilius est contraria, quam diuersa, sentire. An non idem ipse communis sensus in vna corporis parte tanquam organo residet; siue ea sit cor, siue cerebrum; qua diuersa simul obiecta suscipiuntur, & iudicantur?

Reliqui igitur ad rationem illam abfoluendam, qua communis sensus tanquam ab aliis diuersus probabatur, hæc referunt. Et Alberto quidem, ac S. Thomæ caro & sensorium carnem & tactus organum significant. Si enim inquit iudicium illud diuersorum sensuum aliquo particularium quinque sensuum fieret, per tactum maximè fieret. Quoniam is, vt antea dictum est, videtur esse plures; contrarietatesque multas percipit. Immo primus est, & fundamentum omnium sensuum, quo animal primum fit sentiens. Hinc S. Thomas carnem deducit non esse vltimum tactus sensorium. Quia cum hic sensus tangendo operetur, sensuum illam differentiam carnis contactu cognosci oporteret, si tactu ea dicitur percipi. Albertus autem iudicium illud tactui ostendit attribui non posse: quoniam siue illius organum carnem posueris, siue aliud quiduis; non operatur nisi tangendo: album autem, & dulce non tangentes, sed interiecto corpore diiudicamus.

Ego verò nullam audiens tactus mentionem fieri, cum caro deducitur vltimum sensorium non esse, non video, quorsum id aut quo modo de tactu intelligi possit. Præsertim cum illud, quod ipsi præmittunt (si iudicium illud aliquo particularium sensuum fieret, maximè tactu fieret) ab Aristotele præmissum non fuerit: sed carnem non esse vltimum sensorium, colligatur immediatè ex eo, quòd iudicium illud ad sensum aliquem vniuersè sumptum pertinere dixerat. Deinde minus accommodata est ratio, qua id maximè ad tactum pertinere ostenditur. Non enim verè accipitur eum plures sensus esse. Et quamuis contrarietates plures comprehendat; omnes tamen determinato vniuerso obiecto continentur. Ac demum ex eo, quòd primus est sensus, aliorumque fundamentum; tantum abest, vt illud sit consequens, vt contrarium potius deducatur. Vt enim primus est, ac cæteros antecedit; sic minimè poterit consequentium, & posteriorum obiecta persentire, ac iudicare: cum hoc postremæ potius facultatis sit, quæ prioribus adiungatur. At quænam est illa S. Thomæ deductio, quam velut manifestam colligit? Iudicium hoc ad tactum maximè pertinere videtur; caro igitur non est vltimum tactus sensorium. Quid erat opus de organo tactus nunc dicere, illudque non esse carnem ostendere? Denique philosophi probationem, quam generalem esse ac sensum omnem exteriorem complecti oportebat, minus efficacem faciunt; dum ad solum tactum contrahunt, ad quem vt primum, infirmum, & imperfectissimum omnium, minimè profusus pertinere vi-

A debatur vltimum illud, supremum, & perfectissimum iudicium de cæteris sensibus, eorumque obiectis: quod vltimum nimirum, supremum, & perfectissimum sensus esse debet; qui alius omnibus quasi iudex præsit, & ius dicat, & ad quem concurrant omnes: siue is diuersus ab illis sit; siue is, qui inter eos præstat omnibus.

Vera igitur, & germana huius loci interpretatio ea est, quæ fuit Auerrois. Vt caro quidem cum carnem significet tanquam tactus organum (tantum abest, vt eam colligat huiusmodi sensus sensorium non esse) tum reliquorum sensuum exteriorum sensoria (vnum enim pro omnibus nominasse, sit fuit) vltimum autem sensorium id, quod vltimum sentit, siue in quo vltimum sit sensuum diuersorum iudicium. Nam postquam iudicium illud posuit ad sensum aliquem pertinere; ad quem sensum pertineret, inuestigare cepit. Statimque velut assumptionem accepit, carnem vltimum sensorium non esse; hoc est neque in carne; neque in oculo, neque in lingua, neque in aliorum particularium exteriorum sensuum organum sensum carnem fieri, qua vltimum de diuersis sensibus iudicium fertur. Quod perinde est ac dicere, iudicium illud, ad nullum particularem sensum pertinere, sed ad superiorem alium progrediendum vltimum esse. Carnem autem potissimum nominavit; siue quòd communissimum ille sit omnium sensus, qui animalibus cunctis inest. Siue potius carnem dixit linguam, quæ carnea est, gustatus organum, quo sentimus dulce, quod à nobis dixerat ab albo distingui. Potuisset enim fortasse particularem iudicium tactu distingui, dum sentit dulce; aut aspectu, dum cernit album; eodemque modo reliqua huiusmodi iudicia alicuius esse particularis sensus, qui dum suum obiectum comprehendit, illud quoque ab alio distinguit. Porro cum carnem nominasset, quæ tactus sensorium est; aut etiam gustatus, qui tactus quidam est; ex hoc sensu propositionis probationem deduxit. Tactus atque aded gustatus non sentiunt, nec iudicant, nisi tangendo; at non tanguntur, nisi tactili; neque hi sensus tangunt, nisi proprium suum obiectum, tactus qualitates tactiles, gustatus gustabiles, quatenus in humido tactili consistunt: de his igitur solis iudicare possunt; non de colore, sono, aut odore, quæ qualitates tactiles non sunt; sed aspectabiles, audibiles, odorabiles.

Hanc ergo arbitror huius probationis explanationem esse; et si alij omnes secus hæcenus interpretati sunt. Alio autem modo potest eadem illa probatio deduci. Si caro vltimum esset sensorium, & tactus per carnem, cæteri que sensus similiter per suum proprium organum de sensibus diuersis iudicarent; sanè tactus, & caro tangendo, aspectus, & oculus videndo, auditus, & auris audiendo, cæteri que singuli actionem sibi propriam promendo iudicarent. At tactus non nisi tactilius est qualitatum, non alboris; visio alboris, non dulcoris; auditus soni, non odoris; & omnino eorum vniuersumque proprii duntaxat obiecti, non aliorum: non potest igitur in illis esse hoc de pluribus iudicium, sed alio opus est sensu, alioque sensorio.

Cur ego ita interpreter, hæc faciunt. Primum: quòd ita efficacissima, & planè necessaria probatio ducitur ex ipsa sensuum, ac facultatum natura petita; quæ ex obiecto ita constituitur ac definitur, vt nihil extra illud cognoscere valeat. Quam probationem prætermittere Aristoteles non debuit. Deinde

Deinde quod generalis probatio sit, que sensibus omnes complectatur; atque uniuersè probet ad iudicium eorum iudicium illud pertinere. Si quidem ut tactus tangendo solum operatur; sic aspectus aspiciendo, auditus audiendo, odoratus odorando; hacque actione aspectus aspectabile solum, auditus audibile, odoratus odorabile, non item cetera obiecta perferunt. Ut enim carnis nomine sensoria omnia particularium sensuum significantur, ita & tangendi uoce proprias omnes singulorum actiones intelligere oportet. Quæ uero ab aliis interpretibus ex illis uerbis probatio colligitur, in solo tactu locum habet. Præterea quod communis illa ceterorum expositio, si sensus particularis iudicium illud sit; maxime erit tactus; at is tangendo solum sentit; nos uero remota etiam obiecta diuersa esse iudicamus; falsum accipit, maxime scilicet tactus iudicium illud fore. Immo minime illius fore uideatur, ut aduersus Albertum, & Thomam demonstrauit. Nec uilla est ratio, cur tactus potius, quam alij, diuersorum sensuum obiecta diuidat: cum non minus, quam ceteri, particularis, ac determinati obiecti sensus sit. Denique quod hac mea interpretatione partes omnes complector. Nam qui particularibus sensibus iudicium tribueret, uel eorum singulis, uel pluribus simul tribueret. Non esse pluribus simul operantibus tribuendum, iam Philoſophus demonstrauit: nunc uero non posse singulis tribui ostendit. Alioqui parte hæc demonstrationis prætermiſſa, imperfecta & mutilata demonstratio fuisset. Respondere namque potuisset quispiam, non id quidem à pluribus simul cognosci, operante unoquoque circa suum obiectum: sed singulos, dum suum obiectum sentiunt, de iis quoque, quæ cum illo coniuncta sunt, iudicare. Atque hoc fieri non posse, oportuit demonstrare. Iam uero hoc demonstrato ad alteram partem progreditur.

TEXTVS.

Ὅτι δὲ κριταὶ μὲν οὐδὲν ἔχεται κένον, ὅτι ἕτερον τὸ γινώσκον τὸ κενόν, ἀλλὰ δὲ αὐτὸ τὸ κενόν δὲ αὐτῶν. οὐ γὰρ εἰ ἀπὸ τῆς ἐξουσίας, τὰ δὲ οὐκ ἀδύνατα, δύναται εἶναι ἕτερον ἀλλήλων, δὲ δὲ τὸ κενόν, ὅτι ἕτερον ἕτερον τὸ γινώσκον κενόν. λέγει ἄρα τὸ αὐτὸ, ὅτι οὐκ ἔστιν, οὐ γὰρ κενὸν, καὶ ἀδύνατον. ἔτι δὲ οὐδὲν οὐκ, ὅτι τὸ κριταὶ μὲν οὐδὲν ἔχεται κένον.

Neque uero fieri potest, ut separatis iudicet id, quod iudicat diuersum esse dulce ab albo: sed uhi cupiam ambo nota esse oportet. Sic enim habet. Etiam si hoc quidem ego, illud uero tu sentires; manifestum sane esset ea inter se diuersa esse. Vnum autem dicat oportet esse diuersum. Diuersum enim dulce ab albo. Dicit ei eodem. Quare uel dicit, ita & intelligit, & sentit. Separatis agitur separata iudicari non posse perspicuum.

COMMENTARIVS XXX.

Postquam probatum est diuersorum sensuum iudicium singulorum particularium sensuum seorsum sumptorum non esse; considerandum superest, num plurium simul operantium esse queat. An inquam album esse dulce, album que à dulci differre propterea cognoscatur, quod aspectus album, gustatus dulce perferant. Hoc enim est, quod dicit Philoſophus (separatis iudicari) hoc est pluri-

bus & distinctis operantibus. Omnino autem respondere nequaquam id fieri posse; sed necessarium proliſ esse utrumque sensibile ab uno & eodem sensu cognosci & iudicari. Nam si à pluribus iudicarentur, ab uno album, ab alio dulce, perinde esset ac si ego uiderem album, tu gustares dulce. Quid enim interfit, siue diuersos homines, siue diuersos sensus sentire dixeris? Cum non minus forma, & subiecto, hoc est facultate, & organo differant duo sensus, quam anima, & corpore toto duo homines. Quare sicut si ego album cerperem, tu gustares dulce; manifestum quidem esset dulce ab albo differre esse: Quonia aliter ego afficior ab albo, quam tu à dulci. Neuter tamen nostrum diuersitatem eam sensu cognosceret, sed sola ratione inuentione colligeret. Ita profecto, si aspectus uideat album, & gustatus dulcior sentiat; certum esset diuersa hæc obiecta esse. At neuter sensus diuersitatem comprehenderet. Oportet namque eum, qui aliqua duo separare, ac distinguere debet, utrumque cognoscere; quoniam iudicium omne unius est. Et iudices, inquit Philoſophus, ambas partes audire uolunt, ut earum controuersiam cognoscant. Ac demum Simplicius diuersitatem aut habitudinem quandam significare, que non cognoscitur, nisi cognitis iis, que inter se mutuo referuntur. Dum uero alter illorum sensuum obiectum suum sentit, non sentit alterum. Quemadmodum igitur unus debet esse homo, qui ambo cognoscat, ut dulce pronuntiet alterum esse ab albo: sic unam necesse est facultatem esse unumque sensum, qui sensibile utrumque comprehendat; & dum alio, atque alio modo ab illis afficitur, ea diuidet esse diuersa. Neque uillo modo separata, hoc est diuersa obiecta, separatis ac diuersis sensibus iudicari & dignosci queunt.

Sane ad hoc persuadendum ex sensibus ipsis particularibus licet argumentum sumere, ut uerè admonuit quoque Themistius. Quemadmodum enim una facultas est, quæ differre iudicat album, & nigrum; singulique sensus diuersas sui obiecti partes discernunt, ac separant; auditus acutum sonum & grauem, odoratus suauem odorem & moleſtum, gustatus saporem dulce & asprum, tactus calorem & frigus, humorem & siccitatem: sic unam necesse est esse, que dulce ab albo, aliaque huiusmodi sensilia diuersa distinguat. Quocirca argumentatione hac simul probatur, & communem sensum nobis inesse, & eum esse unum.

Porro ubi dixit (intelligit, & sentit) intelligere Philoſophus uult pro imaginari positum esse; fortasse quod intellectus sensilium per se non fit, quatenus sensilia sunt. Verum neq; imaginatio hoc loco cum communi sensu, qui ex propria sua operatione quærebatur, confundi debuit. Intellectum ipsu uerius intelliges: quem autem ideò nominauit cum sensu, quod tu sensu, tum intellectu diuersitas illa cognoscatur: aut quod ostensum nõdum sit, intellectu à sensu diuersum esse: Aut postquam intellectum nominasset, emendauit sermonem, addèdo sensum; quia uerè iudicium sensus est, non intellectus. Sensum quoque affirmari dicere, dulce ab albo diuersum esse: non eo modo, quo intellectus dicit affirmando, aut negando unum de altero (quæ enim fit in sensu affirmatio, quæ uerè negatio?) Sed simplici iudicio dicere, hoc est iudicare, & cognoscere obiecta illa tanquam diuersa; dum alio, atque alio ab illis modo permouetur.